

bat per illas leges majora mala vitare; tum etiam quia hoc est maxime consentaneum legi divinæ, etiam positivæ, nimirum, ut nulum malum culpæ permittat positive (ut sic dicam), licet negative possit aliqua permittere, non injungendo propter illa specialem pœnam hujus vitæ. Et (si quis recte consideret) ad hoc suadendum applicari facile potest ratio quarta D. Thomæ, qua probat necessitatem legis divinæ, 1. 2, quæst. 91, art. 4, et qua probat legem divinam dari debuisse de omnibus actibus moralibus bonis, quia necessarii sunt ad divinam amicitiam, ut declarat quæst. 99, art. 2, juncto art. 2, quæst. 100; nam eadem ratione non debuit lex divina per modum juris permittere malum aliquod, in quo perseveret malitia divinæ amicitiae contraria: unde etiam concluditur non solum permissionem, sed etiam opus ex illa factum posse dici effectum talis legis, quia erat opus bonum, et tale fiebat per concessionem legis, sicut opus privilegio concessum est effectus ejus. Neque contra hanc assertionem occurrunt objectiones generales: illæ vero quæ circa particularia exempla adducta fieri solent, et difficiles non sunt, et in propriis materiis tractantur. Addendum vero est interdum in illa lege expresse tantum dici, ut hoc vel illud faciens non subiaceat pœnæ, ut patet Exodi 21, etc.; et tunc clarum est solum quoad impunitatem actum permitti.

14. *Lex vetus habet effectus pœnales.* — Dico tertio: lex vetus habet etiam effectus pœnales, seu pœnarum. Hæc assertio per se nota est, quia, magna ex parte, lex illa pœnalis erat; passim enim in ea legimus, *Qui hoc fecerit, morte moriatur*, vel, *delebitur de populo suo*, vel, *dentem pro dente*, et similia; erant ergo illæ leges pœnales, non puræ, sed mixtæ, seu habentes simul vim directivam, ut dictum est. Ratio autem propter quam comminationes pœnarum additæ sunt in illa lege, est illa communis, quod pœnæ necessariæ sunt, præsertim propter illos qui sunt proni ad malum, ut ait Aristot., l. 10 Ethic., cap. ult. Ille autem populus erat valde imperfectus, et pronus ad malum, et ideo maxime induci debuit comminationibus pœnarum. Quæ propter hanc causam fuerunt in illa lege, et multiplices, et gravissimæ, ac propterea vocatur illa lex timoris et servitutis, quia per comminationes pœnarum, magis quam per amorem inducebat ad sui observationem. Unde e converso in transgressoribus erat causa punitionis: sic enim pœna est effectus legis

pœnalis, quamvis non semper eodem modo: nam, ut in l. 4 diximus, lex interdum pœnam ipsam per se exequitur, et tunc dici potest causa per se, et proxima ipsius pœnæ; aliquando vero solum taxat, et designat pœnam imponendam, et tunc immediate facit obnoxium pœnæ transgressorem legis: remote autem, et quasi consequenter est causa ipsiusmet pœnæ, quam judex vel executor imponit, vel proxime efficit.

15. *Pœnæ pecuniariæ.* — Possumus ergo hæc duo genera legum pœnialium in veteri lege distinguere: nam quædam imponebant pœnam ferendam vel exequendam per hominem; aliæ vero per sese illam faciebant, vel imponebant. In priori ordine pono omnes leges imponentes pœnam corporalem: ignis, Levit. 21; lapidationis, Levit. 24; verberum, Deuter. 25; sive pœna talionis, Exod. 21. Certum est enim has leges non obligare in conscientia ad pœnæ solutionem ante condemnationem: nam, considerando verba legis, videtur res clara, omnes illas pœnas fuisse impositas in ordine ad sententias judicum, ut patet Exod. 21, cum similibus. Item in his corporalibus pœnis idem est manifestum, vel per se præsumptum, ubi aliud evidenter non constiterit de voluntate et præcepto Dei, quod in illa lege ostendi non potest. De pecuniariis vero pœnis posset quis dubitare, ut quando lex præcipit restituere duplum, triplum, vel quadruplum, ut Exod. 22, nam verbum *restituatur*, indicat obligationem in conscientia. Sed nihilominus verius existimo quidquid ibi habet rationem pœnæ, designari in ordine ad sententiam judicis, et antea non obligare, quia verba non habent majorem vim, et mitiori modo explicanda sunt, et ita procedunt rationes aliæ factæ de legibus humanis. Dico autem, *quidquid habet rationem pœnæ*, quia id quod ad restitutionem rei ablatae, vel re-compensationem damni facti pertinebat, ex naturali obligatione, statim restituendum erat, ut per se constat. Et, hac ratione, probabile est legem Exod. 21, ut dominus, qui servum vel ancillam percutiens oculum aut dentes excluderet, illum liberum dimitteret, obligasse in conscientia, nulla expectata sententia, quod tenet Castr., lib. 2 de Lege pœnal., cap. 4, qui tamen id explicat, etiam per modum propriæ pœnæ, non vero satis id probat; facilius vero intelligitur per modum recompensationis damni illati, quam lex divina illo modo taxabat et definiebat. Addi etiam potest quædam alia onera imposita

fuisse per illam legem committentibus aliqua delicta, quæ non tam videntur fuisse pœnæ, in vindictam impositæ, quam remedia vel medicinæ talium delictorum in ordine ad divinum cultum illius legis, et de his verisimile est obligasse in conscientia ante judicis sententiam; hujusmodi videntur fuisse leges imponentes aliquas oblationes, vel sacrificia pro aliquibus delictis, cum aliquo modo confessionis delicti, vel sine illo, ut late prosequitur Castro, cit. loco.

16. *Irregularitas.* — *Lex irritans aliquem contractum ipso facto.* — In alio ordine pono irregularitates quasdam, quas lex illa ipso facto inducebat circa personas, propter varias occasiones, vel eventus, ut propter tactum corporis mortui, Num. 19, et Levit. 11; vel propter alias similes causas, ut videre licet Levit. 12 et seq. Has autem inter pœnas numeramus, late loquendo, quia erant onera et gravamina illius legis; re tamen vera ordinariæ non erant proprie pœnæ, quia sine culpa inducebantur ad eum modum quo nunc irregularitas sæpe non est pœna, sed indecentia quædam. Incurrerantur autem tunc tales irregularitates ipso facto, et ex vi legis, et ideo dicimus illum fuisse proximum et per se effectum illius legis: nam ex vi, et efficacia et institutione illius immediate fiebat. Atque in hoc etiam ordine constitui possunt leges, quæ ipso facto irritabant aliquem contractum in illa lege, quod maxime admittendum videtur in legibus inducentibus impedimenta matrimonii, Levit. 18; nam in hoc sensu communiter ab expositoribus et theologis leges illæ intelliguntur. Et hoc indicant illa verba: *Turpitudinem patris, matris, sororis, etc., non revelabis*: nam per hæc directe prohibetur, et fit illicitus usus talis matrimonii; et ideo necessarium est ut matrimonium ad talem usum ordinatum, non solum sit prohibitum, sed etiam irritum, tanquam obligans ad actum illicitum, quod fieri non potest. An vero præter hæc præcepta fuerint alia in illa lege ipso facto irritantia actus aliquos, vel contractus, testamenta, vel quid simile, definiendum existimo ex principiis supra positis, et judicium esse ferendum juxta exigentiam verborum ipsorum præceptorum, quæ consideranda et expendenda sunt.

17. *Opus præmio dignum et ipsum præmium inter effectus hujus legis posse numerari.* — *Probat utraque pars assertionis.* — Dico quarto: opus dignum aliquo præmio, et præmium ipsum numerari potest inter effectus

illius legis. Hoc facile probatur, supponendo legem illam induxisse ad sui observationem per varias promissiones, ut constat ex libro Exodi, cap. 19; et Deuteron. 4, 27 et 28; et ex Prophetis, aliisque locis frequenter. Et rationem reddit D. Thomas, dicta q. 99, a. 6, quia hoc generaliter pertinet ad perfectam providentiam legislatoris humani: ergo multo magis ad providentiam Dei, cui non est similis in legislatoribus: ergo, dando illam legem, conveniens fuit ut simul promitteret præmia observantibus illam. Et confirmatur, quia non est Deus minus liberalis in promittendo, et justus in præmiando, quam sit severus in comminando, et justus in puniendo: sed Deus sancivit illam legem per comminationem plurimum pœnarum, ut dictum est; ergo decuit ut etiam per promissiones suas illam confirmaret. Et ideo solet lex illa in Scriptura significari nomine pacti ac fœderis, quia ita lata est ad obligandos homines, ut per promissionem adjunctam obligaverit etiam Deum ad reddenda præmia servantibus illa. Ex hoc ergo fundamento facile probatur utraque pars assertionis: nam opus legis cum fit, effectus est legis, licet non proximus, saltem remotus, quia lex, quantum in se est, ad illud inducit et movet. Deinde opus illud ex obligatione legis factum sub promissione præmii, quantum est ex se, dignum est tali præmio, sicut mercenarius dignus est mercede sua; ergo opus dignum mercede promissa in lege effectus est ejusdem legis: unde, ulterius procedendo, præmium ipsum effectus est operis illo digni, cuique ex pacto et promissione debetur; ergo lex quæ est causa talis operis, consequenter est etiam causa talis præmii; est ergo effectus ejus, licet magis remotus. Neque in hac assertionem absolute sumpta superest specialis difficultas.

18. *Commune dubium de promissionibus legis veteris.* — Occurrit tamen commune dubium, quales fuerint promissiones illius legis; an temporales tantum, vel etiam spirituales et æternæ. Et ratio dubii est, quia D. Thomas dicto art. 6, significat promissa illius legis fuisse tantum temporalia, et reddit rationem, quia lex illa disponebat ad CHRISTUM sicut imperfectum ad perfectum, et dabatur populo adhuc imperfecto in comparatione perfectionis quæ erat futura per CHRISTUM: imperfectorum autem est, quod temporalia bona desiderant, et ideo illa lex per temporalium honorum promissiones homines inducebat. Nam qui vult (ait D. Thomas) inducere alium

ad observantiam præcepti, ea debet promittere quæ magis sunt in ejus affectu; nam sicut qui docet, incipere debet a facilioribus, ita qui movere alium vult, ea proponere debet quæ facilius movere possint: unde ob eandem causam comminationes illius legis erant de pœnis temporalibus, quia earum timor magis movere solet animales homines et imperfectos. Confirmatque hoc D. Thomas ex Paulo ad Gal. 3, comparante legem pædagogo, et consequenter Israeliticum populum puero existenti sub pædagogo: nam sicut puer maxime sensibilibus movetur, et ideo a pædagogo interdum flagellis terretur, aliquando vero levibus munusculis et promissionibus inducitur, ita lex illa populum sibi subjectum inducebat; quod etiam constat ex tenore legis Deut., 27 et 28, et ex usu Prophetarum, Isai. 4: *Si volueritis, et audieritis me, bona terræ comeditis*, etc. Et sæpe in aliis.

19. Significat autem D. Thomas hoc esse intelligendum exclusive, ita ut non solum lex illa temporalia frequenter promiserit, quod evidentissimum est, sed etiam quod nihil excellentius promiserit, ad hoc enim discursus D. Thomæ tendit. Unde promissio illa, quæ habetur Levit. 18, et Ezech. 20: *Custodite leges meas, atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis*, de vita corporali intelligit idem divus Thomas, quæst. 100, art. 12, ad 2, ex Paulo ad Galat. 3; ubi significat diversitatem esse inter illas duas sententias, *Justus ex fide vivit*, et, *Qui fecerit ea, vivet in illis*; quod prior intelligitur de vita spirituali, posterior autem minime, quia lex non est ex fide; et ideo in priori sententia simpliciter dicitur *vivet*, in posteriori autem non simpliciter, sed cum addito *vivet in illis*, id est, in lege, cujus pœnas non incurret, vel in justitia legis, ut exponere videtur idem Paulus ad Romanos cap. 10, dicens: *Moyses enim scripsit, quoniam justitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in ea*. Præterea idem Paulus, ad Hebræos scribens, hanc sententiam indicare videtur. Nam cap. 7 dicit, *novi Testamenti meliorem esse spem*, utique quia est de æternis bonis, *per quæ approximamus ad Deum*: ergo hæc non promittebantur in veteri Testamento; et ideo, cap. 8, addidit novum Testamentum melioribus promissionibus sancitum. Hinc etiam sancti Patres multum huic sententiæ favere videntur; nam D. Augustinus, lib. 18 de Civitat., cap. 11, dicit legem appellari vetus Testamentum, quia promissiones terrenas habet, et per Jesum Christum futu-

rum fuerat Testamentum novum, in quo regnum cœlorum promitteretur. Quæ differentia manifeste requirit ut promissio regni cœlorum in veteri Testamento facta non fuerit, et subjungit rationem similem discursui divi Thomæ, dicens: *Hunc enim ordinem servari oportebat, sicut in unoquoque homine, qui in Deum proficit, id agitur, quod ait Apostolus, ut non sit prius quod spirituale est, sed quod animale, postea spirituale*; et ita in quæst. 92 in Exodum dicit, licet in veteri Testamento præcepta ad bonos mores pertinentia reperiantur, promissiones tamen carnales atque terrenas fuisse; et quæst. 33 in Numer., inter alias differentias inter utrumque Testamentum, hanc constituit, quod in veteri promissa erant temporalia, in novo spiritualia, quod, lib. 4 contra Faustum, et Epist. 120, et in aliis locis, sæpe repetit. Unde Bernardus, sermon. 30 in Cantico., de Lege dixit, *Grave legis jugum, et vile præmium, nam terra est in promissione*, cui statim opponit suave jugum legis gratiæ, quæ promissionem habet vitæ quæ nunc est pariter et futuræ. Hinc denique Hieronymus, Dialog. 1 contra Pelagian., et Chrysostomus in Matth., dixerunt regnum cœlorum cœpisse prædicari in Evangelio: *Legens* (inquit Chrysostomus) *Legem, legens Prophetas, legens Psalterium, nunquam regnum cœlorum audivi, nisi in Evangelio*. Hieronymus autem reprehendit Pelagium, qui dicebat regnum cœlorum etiam in veteri Testamento repromitti: *Cum perspicuum inquit sit, regnum cœlorum primum in Evangelio prædicari*.

20. *Contraria pars suadetur*. — In contrarium vero est, quia non videtur posse negari quin antiqui observatores legis Moysi vitam æternam per eam sperarent; de hac enim retributione loquitur David, Psalmo 118, cum dicit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*; et clarius Tobias, cap. 2, filio dicebat: *Filii sanctorum sumus, et vitam illam expectamus, quam daturus est Deus iis qui fidem suam non mutant ab illo*; et 2 Machab., 7, unus eorum dixit: *Rea mundi defunctos nos pro suis legibus in æternæ vite resurrectione suscitabit*. Unde de illa vita intellexisse videtur illam promissionem: *Qui fecerit eas, vivet in eis*; de qua etiam loquitur Ezech. 18, cum dicit: *Qui custodierit præcepta mea, et fecerit judicium, et justitiam, vita vivet*; et similia habet cap. 33, et vita æterna expresse promittitur Daniel. 12, et Sap. 5: *Justi autem in per-*

petuum vivent. Denique Isaias, cap. 64, æterni præmii dignitatem agnoscens et expectans, ait: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ preparasti diligentibus te*; et cap. 13 describit æternum præmium virtutis. Non videtur ergo dubium quin homines sub lege viventes promissionem haberent vitæ æternæ, et illam sperarent, quod aperte confirmat Apostolus, ad Hebr. 11, ubi, facta longa numeratione justorum illius temporis, concludit: *Et hi omnes testimonio fidei probati non acceperunt reprobationem*, quod necesse est intelligi de reprobatione æterna: nam temporales promissiones multi acceperunt, de quibus in principio dixerat: *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt reprobationes*. Denique non solum pœna temporalis, sed etiam æterna cognoscebatur, et timenda proponebatur in illo tempore, ut constat ex eisdem locis: unde etiam tunc peccando mortaliter reatus illius pœnæ incurrebatur, ut est de fide certum; ergo necessarium est ut etiam æternum præmium proponeretur: nam hæc duo connexa necessario sunt, et eadem est utriusque ratio. Quod etiam aperte ostendit princeps quidam Judæorum, qui Christum interrogavit: *Quid faciens vitam æternam possidebo*, Luc., 18. Habebat ergo notitiam illius et spem.

21. *Utraque pars bene intellecta amplectenda*. — *Explicantur Patres prædicti*. — Dicendum vero est utramque partem recte intellectam veram esse; nam lex proprie sumpta non promittebat præmia æterna, sed temporalia, ut priores Patres docent. Et ratio eorum suadet, et ex testimoniis ex lege citatis colligitur, addendo, nullum ex propria lege afferri testimonium, in quo spirituales promissiones fiant. Et nihilominus verissimum etiam est homines sub lege constitutos habuisse promissionem vitæ æternæ, et spiritualium bonorum, et fidem ac spem eorum, sine qua impossibile est remissionem peccatorum obtinere: *Accidentem enim, ad Deum oportet credere, quia est, et inquirentibus se remunerator sit*, ad Hebr. 11. Neque hoc posterius cum priori repugnat, quia hanc promissionem non habuerunt Judæi ex lege, sed ex Patribus (ut sic dicam), utique per traditionem eorum; nam a principio Ecclesiæ facta est hominibus fidelibus, et in eis per traditionem permansit fides ejus, et in Abraham revocata est, et expressior facta, unde est illud Ecclesiæ in Missis defunctorum: *Signifer sanctus Michael representet eas in lucem sanctam, quam olim Abraham promisisti, et semini*

ejus. Sic ergo ad populum Israeliticum pervenit, et postea per Prophetas scripta est, non tanquam nova, sed tanquam antiqua. Quod totum satis probat testimonium Pauli ad Hebræos, undecimo, ubi incipiens ab Abel, et progrediens per Patriarchas usque ad Prophetas, omnes dicit habuisse hanc promissionem. Lex ergo nullam promissionem spiritualem huic antiquæ addidit, et in hoc sensu vere dicitur tantum promississe temporalia, scilicet, quantum ad promissiones quas ipsa addidit. Et in hoc sensu locutus est D. Thomas cum Augustino. Et in eodem dixit Bernardus fuisse vile præmium, scilicet, proprium illius legis, comparatum ad onus etiam proprium quod lex illa imponebat. Chrysostomus autem et Hieronymus, quia non de sola lege, sed de toto Testamento veteri loquuntur, exponendi sunt ut loquantur de promissione vitæ æternæ sub expresso nomine regni cœlorum. Vel si hoc non probatur, quia Sapient. 5 vocatur *regnum decoris*, et cap. 6 *regnum perpetuum*, et quia verba Isaia et alia sunt æquivalentia, dicendum est ante Christum non fuisse promissum regnum cœlorum ut jam apertum, et secundum illum statum assequendum, et hoc modo inceptum esse prædicari tempore legis gratiæ, et hoc intendisse illos Patres, ut ex antecedentibus et consequentibus constare potest. Vel certe regnum illud non fuisse promissum, ut præmium operum legis, sed ut præmium operum gratiæ, et ut sic semper ad novum Testamentum pertinuisse. Quæ doctrina magis declarabitur ex capite sequenti.

22. *Aliud dubium*. — Aliud dubium excitari potest circa eandem quartam assertionem, scilicet, quomodo opera legis essent meritoria illius præmii temporalis promissi per legem, vel præmii æterni promissi per fidem. Sed de hoc posteriori puncto dicam in capite sequenti. De priori vero, dicendum est fuisse illud meritum de condigno et de justitia, quia et opera erant satis proportionata tali præmio (cum Bernardus dixerit fuisse vile præmium respectu tanti oneris), et fiebant ex pacto cum Deo, et sub conditione talium operum. Oportebat autem tale opus esse saltem moraliter bonum, quale de se erat quodlibet opus divinæ legis, nisi ex parte operantis prave fieret; tunc enim totum opus Deo displiceret, et ideo non posset esse meritorium de condigno apud Deum, etiam præmii temporalis, cum pœnam potius mereatur. Et ita est intelligenda conditio illius promissionis, quod fiat opus ita implens aliquod præceptum

legis, ut nullum aliud præceptum Dei per illud violetur. Imo addi potest ex divo Thoma, dicto art. 6, ad 3, aliam etiam conditionem fuisse necessariam ex parte personæ operantis, scilicet, ut operans non esset inimicus Dei. Sic enim ait D. Thomas aliquos servantes legem illam, non fuisse consecutos etiam præmia temporalia illis promissa, quia *cor totum habebant in temporalibus defixum, et a Deo elongatum*. Nam in tali statu nemo potest mereri apud Deum de justitia etiam temporalia promissa, cum illis etiam bonis sit indignus. Unde licet fortasse gratia non esset per se necessaria ad tale meritum, tanquam principium per se ejus, potuit esse necessaria conditio ad removendum impedimentum. Et ideo, hoc non obstat quominus tale præmium absolute dici possit effectus illius legis, quod de præmio æternæ vitæ simpliciter dici non potest, ut capite sequenti constabit.

23. Denique indicat D. Thomas, in dicta solutione ad 3, non obstante dicta promissione, non fuisse infallibile illud præmium respectu singularum personarum, quia fieri poterat *ut aliqua personæ particulares, etiam justitiam legis servantes, illa bona temporalia non obtinerent, quia jam erant spirituales effecti, ut per hoc magis ab affectu temporalium abstraherentur, et eorum virtus probata redderetur*. Unde sentit D. Thomas promissionem temporalium etiam tunc inclusisse conditionem, dummodo spiritualibus non nocerent, et sub illa fuisse infallibilem, ita ut ratione illius talia bona obtinerentur, etiamsi ad spirituales salutem non essent necessaria, simpliciter loquendo. Et ita intelliguntur specialiter tunc promissa bona temporalia, ut talia sunt, id est, sine positivo respectu ad spiritualia, quamvis noluerit Deus se obligare ad illa tribuenda, etiam cum spirituali nocimento.

24. *Multiplicatio peccatorum non fuit effectus illius legis*—Ultimo dicendum est, quamvis occasione illius legis peccata multiplicata fuerint, nihilominus dici non posse, simpliciter loquendo, multiplicationem peccatorum fuisse effectum illius legis. Hanc assertionem propono ad explicandas aliquas locutiones Scripturæ, præsertim D. Pauli, et convenientem modum loquendi in hac materia. Prior igitur pars expresse traditur ad Roman. 7, ubi prius dicit: *Cum essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, ut fructificarent morti*. Deinde objicit: *Quid ergo dicemus, lex pecca-*

tum est? absit; et infra: Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, et per illud occidit; igitur occasione legis, non data ab ipsa, sed ab homine accepta, multiplicata sunt peccata. Ratio vero est, quia lex ostendebat peccatum, et illud prohibebat, et consequenter quodammodo augebat appetitum rei prohibitæ, quia *cum aliquid concupiscitur, et postea prohibetur, concupiscentiæ flamma magis attollitur*, ut ait Chrysostomus, homilia 12 in Epistol. ad Romanos, et consentit Hieronymus, quæst. 8 ad Algas. Aliunde vero lex illa vires non præbebat ad peccatum vincendum, ut capite sequenti dicam. Altera vero pars probatur ex eodem Paulo, quia lex est bona, et opus Dei; ergo non potest esse causa peccati. Probatur consequentia, quia alias Deus ipse esset causa peccati, et ideo Paulus eodem loco cautissime loquitur, dicens: *Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? absit, sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem; ubi peccatum vocat fomitem peccati, et illi tribuit causalitatem aliorum peccatorum, licet per occasionem legis*.

25. *Objectio*.—Sed contra posteriorem partem objeci potest illud Pauli 2 ad Corinth., 3: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*, ubi Augustinus nomine *litteræ* legem intelligit, quæ sic vocatur, vel quia in lapidibus scripta fuit, vel quia per antonomasiam lex scripta appellatur; et consonat quod statim Paulus subdit: *Si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, etc.*, ubi clare legem describit. Verbum autem *occidit*, de occisione spirituali intelligitur, opponitur enim verbo *vivificandi*, spiritui attributo, quod plane intelligitur de spirituali vita; ergo, juxta Paulum, lex spiritualiter occidit; ergo peccatum, quod est mors animæ, est effectus illius legis. Atque ita illum locum exponit Augustinus, de Spirit. et litter., cap. 4 et sequentibus, præsertim usque ad 14 et 15, contra Faustum, cap. 8, et lib. 2 contra adversar. legis et Proph., cap. 7; et idem fere tradit ibi Chrysostomus, homil. 6, sequunturque divus Thomas, Anselm. et alii. Et simili modo, ad Romanos 7, dicitur illa lex mortis, utique ab effectu, quia occidendo, mortem animæ infert, mors autem animæ est peccatum.

26. *Responsio*.—Ad prius testimonium, aliqui nomine *litteræ* non legem tantum, sed totam litteram veteris Testamenti intelligunt, quam dicunt occidere, si juxta corticem litteræ intelligatur, vivificare autem, si in spiri-

tuali sensu accipiatur. Ita Origenes, lib. 6 contra Celsum circa finem, et lib. 7, prope medium. Quam sententiam non reprobatur Augustinus dicto lib. de Spirit. et litter., cap. 4, sed potius admittit, dummodo alia non rejiciatur; et ita illa utitur lib. 3 de Doctr. Christian., cap. 5. Et sententia quidem sano modo intellecta in se vera est, non est autem existimandum intelligentiam Scripturæ secundum proprium sensum verborum malam esse, vel nocivam, hoc enim hæreticum esset, ut per se constat, sed sensus est nocivum esse, vel, cum Scriptura figurate loquitur, adhærere cortici verborum, vel spiritualem sensum Scripturæ in universum abjicere; sic enim dixit Christus Joann. 6: *Spiritus est qui vivificat, verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt*. Sed licet hæc sententia sic intellecta in se vera sit, sine dubio non est intenta a Paulo in illo loco; nam evidenter per litteram legem intelligit, ut ex contextu constat. Dicunt tamen Chrysostomus et Græci legi tribui quod occideret corporaliter, quia pœnam mortis frequenter imponebat. Quod per se spectatum sustineri posset, tamen non videtur intentum a Paulo, ut ratio facta probat, et quia infra vocat Paulus eandem legem, ministrationem damnationis. Et ideo Augustinus, supra, exponit, legem occidere, etiam spiritualiter, non quidem per se et ut causa mortis spiritualis, sed solum ut occasio, sicut in assertionem explicatum est. Quia vero illa non est occasio data, sed accepta, ideo simpliciter illa locutio propria non est, sed metaphorica, ad eum modum quo dicitur Deus in Scriptura præcipere quando solum permittit, ad indicandam certitudinem eventus; ita enim in præsentem, ut significaret Paulus, posita lege sine spiritu gratiæ infallibiliter sequi lapsum hominis, ideo dixit litteram occidere.

27. *Ad alium locum responsio*.—*Alia expositio*.—Unde facile patet responsio ad alium locum in quo illa dicitur lex mortis; potest enim hoc intelligi de morte corporali juxta expositionem Chrysostomi, quam etiam indicat Gregor. II Moral. cap. 10, alias 21, ubi per umbram mortis legem intelligit, quia mortem frequenter in pœnam imponebat. Et in hoc sensu non procedit objectio, sed locus ille probat tertiam assertionem, quia licet lex per se et absolute non intenderet mortem, etiam corporalem, et sub hac ratione dici potest non esse causam illius, quomodo etiam de Deo dicitur quod *mortem non fecit*: nihilominus in transgressores legis mortem per se

intendit, et facit, supposita transgressione, quia sic bona est, quomodo dicitur Deus facere omne malum pœnæ. Dices ergo etiam dici poterit lex illa lex vitæ, quia sicut comminabatur mortem transgressoribus, ita promittebat vitam servantibus. Respondetur denominationem illam non ex sola promissione vel comminatione, sed ex effectu desumi: mors autem proprie infertur ratione legis transredientibus ipsam: vita autem corporalis non datur proprie, sed solum non auferitur, et ideo non est eadem ratio denominationis. Alio modo intelligi potest ille locus de morte spirituali, juxta expositionem Augustini supra datam; et satis consentaneum discursui Pauli; nam veluti explicans illam denominationem subjungit: *Inventum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem: nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, et per illud occidit*. Loquitur ergo de morte spirituali, et explicat illam vocari legem mortis, non quia sit causa ejus, sed quia occasione ejus secuta est, et tacite explicat verbum occidendi, quod in alio loco posuit, et ita eundem habent sensum, et unus per alium debet explicari.

CAPUT VII.

UTRUM LEX VETUS JUSTIFICARET.

1. *Præcipuus effectus legis*.—*Duplex justitia carnis et spiritus*.—*Justitia carnis quæ*.—*Justitia animæ duplex*.—Quoniam præcipuus effectus legis est subditos facere bonos, et in illa lege habet hic effectus specialem difficultatem, operæ pretium visum est de illo specialiter tractare. Potest autem duplex justitia distingui ex Paulo ad Hebræos, cap. 9, ubi unam vocat justitiam carnis, indicans esse aliam justitiam spiritus, quas aliis locis vocat justitiam legis et fidei seu spiritus. Justitia carnis dicitur opus quo fiebat munditia quædam ab illis irregularitatibus, quas lex illa inducebat, ut supra diximus, et exponit D. Thomas, quæstion. 103, art. 1, ubi in hoc sensu dicit cæremonias legis vocari justitias carnis, quia sanctificabant ad emundationem carnis. De hac igitur justitia manifestum est potuisse legem illam justificare, quia ex vi suæ institutionis tollebat per certas cæremonias illas immunditias legales, sicut etiam illas inducebat. De hac vero justificatione non tractamus, quia nec difficultatem habet, nec poterat juxta conscientiam perfec-